



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 69. Canones de Sacramento Extremæ Unctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

cata redimunt, non esse cultus Dei, sed tra-
 ditiones hominum doctrinam de gratia, & Sæcul. XVI.
A.C. 1551.
 verum Dei cultum, atque ipsum beneficium
 mortis Christi obscurantes: anathema sit.

XV. Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ
 esse datas tantum ad solvendum, non etiam
 ad ligandum, & propterea Sacerdotes,
 dum imponunt pœnas confitentibus, agere
 contra finem clavium, & contra institutio-
 nem Christi, & fictionem esse, quod virtu-
 te clavium, sublata pœna æterna, pœna tem-
 poralis plerumque exsolvenda remaneat; a-
 nathema sit.

§. LXIX.

Canones de Sacramento Extremæ
 Unctionis.

Postea prælegebantur sequentes qua-
 tuor Canones extremam Unctionem
 concernentes.

Canon I. Si quis dixerit, extremam
 Unctionem non esse vere, & proprie Sa-
 cramentum a Christo Domino nostro institu-
 tum, & a beato Jacobo Apostolo promul-
 gatum, sed ritum tantum acceptum a Pa-
 tribus, aut figmentum humanum; anathema
 sit.

II. Si quis dixerit, sacram infirmo-
 rum Unctionem non conferre gratiam, nec
 remittere peccata, nec alleviare infirmos,
 sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit
 gratia curationum; anathema sit.

I 4

III.

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

III. Si quis dixerit, extremæ unctio-
nis ritum, & usum, quem observat San-
cta Romana Ecclesia, repugnare sententia
beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutan-
dum, posseque in Christianis absque peccato
contemni; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, presbyteros Ec-
clesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse
ad infirmum inungendum hortatur, non esse
Sacerdotes, sed ætate Seniores in quavis
Communitate, ob idque proprium extre-
mæ Unctionis ministrum non esse solum Sa-
cerdotem; anathema sit.

§. LXX.

Decretum de Reformatione.

Jam supra memoravimus, quatuorde-
cim de reformatione articulos fuisse
fancitos, qui ferme omnes Episcopalem
concernunt jurisdictionem: Itaque hos-
ce articulos recensere, initium ve-
ro ducemus ab ipsa præfatione, quam
Synodus hisce capitibus præmisit.

*Pallav. hist.**Conc. l. 12. c.*

13.

*Labbe Coll.**Conc. tom.*

14. p. 826.

Et seq.

„Cum proprie Episcoporum munus
„sit subditorum omnium vitia redargue-
„re; hoc illis præcipue cavendum erit,
„ne Clerici, præsertim ad animarum
„curam constituti, criminosi sint, ne-
„ve inhonestam vitam ipsis conniven-
„tibus ducant, nam si eos pravis, &
„corruptis moribus esse permittant, quo
pacto